

# Franckesche Stiftungen zu Halle

**Io. Francisci Bvddei, P.P. Elementa Philosophiae Practicae**

**Buddeus, Johann Franz**

**Hala-Magdebvrgicae, MDCCCLXXVII.**

**VD18 13037862**

**Sect. II. de Officiis Hominis Erga Deum.**

---

#### **Nutzungsbedingungen**

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

#### **Terms of use**

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

## §. XXVIII.

In tercia denique parte militat illud: *socialiter viue*. Veritatem huius principii probo, primo, quia rationis usus maxime socialiter viuendo se exserit: deinde, quia loquela hunc in finem homini data videtur: porro, quia extra societatem omnem homo maxime miser futurus esset: quod eo loculentius patet, si homo in statu naturali consideretur: & denique, quia homini ab homine maximum praesidium peritur, sed & maximum periculum imminet. Si ergo feliciter & bene viuere cupimus, necesse est, ut viuamus socialiter, & ita nos geramus, ne offendamus alios. Hoc D E V S etiam iubet, cum homini aliter faluo esse non liceat. Euidens, & quoad hanc partem, adaequatum esse hocce principium, omnes agnoscunt.

## S E C T. II.

de

## OFFICIIS HOMINIS ERGA DEVUM.

Σύνοψις.

- |   |  |
|---|--|
| <i>Esse Deum, probatur, §. I.</i>   | <i>tibus ei communia sunt,<br/>§. V. VI.</i> |
| <i>Quo pacto essentia eius in-<br/>vestiganda, §. III.</i>                  | <i>Attributa Dei propria,<br/>§. VII.</i>    |
| <i>Attributa quae Deo cum<br/>omnibus entibus sunt<br/>communia, §. IV.</i> | <i>Quid itaque sit D E V S?<br/>§. VIII.</i> |
| <i>Quae speciatim cum spiri-</i>  | <i>Attributa eius operativa,<br/>§. IX.</i>  |
|   | <i>Creatio, §. X.</i>                        |

Et

*Et prouidentia divina, §. XI.* *De cultu Numinis externo*  
*Cultus Dei consistit in eius quid obseruandum? §. XV.*  
*amore, §. XII.* *An certum tempus cultui*  
*Cuius variae sunt species, diuino consecrandum sit?*  
*§. XIII.* *item de sacrificiis, §. XVI.*  
*Quid preces & gratiarum Virtutes hinc fluentes,*  
*actio? §. XIV.* *§. XVII.*

§. I.

**I**psas itaque ut nunc edifferamus leges naturales, secundum triplex, circa quod versantur, obiectum, initium merito facimus a cultu Dei. Deum vero cum nemo colere possit, nisi sciat, an, & quid Deus sit, paucis, quid ratio hac de re doceat, exponendum est. Esse Deum, primo probo ex notitia Dei omnium hominum cordibus insita: hoc est, potentia propinqua, propositioni huic, *Deus est, assentiendi.* Hanc omnium gentium consensus arguit. Huc etiam *anticipatio Epicuri* pertinet.

§. II.

Idem demonstro a posteriori, tum ex prouida quae vnde conspicitur rerum gubernatione, tum ex ordine & pulchritudine huius vniuersi, & aptissima rerum singularum structura. Hinc liquido constat, non casu, sed a causa quadam sapienter omnia dirigente, haec prouenire. Hanc si naturam dicas, nubes & inania prensas. Quid enim est natura? vnde ista vi pollet? Deuenendum tandem ad primam causam, quae profecto alia esse nequit, quam ipse Deus.

§. III.

## §. III.

In essentia Dei indaganda, ad ductum rectae rationis ita procedo: considerando rerum vniuersitatem primo deprehendo, omnia entia in quibusdam attributis conuenire, ut in *vnitate, veritate, bonitate*. Deus itaque cum *ens* sit, existit enim, necesse est, ut itidem hisce attributis gaudeat, sed modo longe perfectiori, cum ceterorum entium sit causa.

## §. IV.

Quod ad vnitatem autem attinet, et si essentia diuina, non vna ratione a nobis concipiatur: inse tamen vna est & indiuisa, non quidem *specifica*, sed *numerica vnitate*, nec non *indivisibiliter & incommunicabiliter*, in ordine ad plures numero essentias: idque tum ob *intrinsecam essendi necessitatem*, tum ob summam *perfectionem & independentiam*.

## §. V.

Entium vero duae classes sunt, quarum vna *corpora*, altera *spiritus* complectitur. Ad priorem Deum referri non posse, ex eo intelligitur, quia spiritus imperfectior est corpore: imperfectius autem Deo tribuere, absolum est.

## §. VI.

Spiritus est substantia cogitans, hoc est *intelligens & volens*: ergo & Deo *intellectus & voluntas*, sed modo longe perfectiori tribuitur. Idem & de ceteris, quae sua sponte hinc fluunt, attributis:

butis: *immutabilitate, immortalitate, & simplicitate*, est censendum,

§. VII.

Nunc videndum, in quo a ceteris entibus omnibus differat. Hoc autem illud est, quod sit *independens*, idque ideo, quia est causa prima ceterorum entium omnium. Ergo etiam est *infinitus*. Quod enim terminos essentiae suae habet, id circumscriptum iis est ab eo, a quo *pendet*, qui certum gradum entis, certamque mensuram perfectionis, illi dedit. Qui autem infinitus est ratione essentiae, infinitus etiam est ratione spati, hoc est, *immensus*, & ratione durationis, hoc est, *aeternus*. Voces autem, quae in Deo imperfectionem negant, hoc ipso ineffabilem perfectionem in eo arguunt.

§. VIII.

Atque ita intelligitur, quo pacto Deus dicatur *Spiritus independens*. *Spiritus* enim voce attributa *primi & secundi ordinis*, altera autem, attributa *tertii ordinis* denotantur.

§. IX.

De operationibus diuinis ita censeo: videmus effectum, modum ignoramus. Interim effectum cum similibus hominum effectibus comparantes, modum agendi in Deo, remota omni imperfessione ita concipimus prout in hominibus se habet. Huc pertinent *attributa*, quae vocantur *operativa, iustitia, omnipotentia, omniscientia, amor, misericordia, veracitas, omnipraesentia &c.*

§. X.

## §. X.

Ex hisce attributis *operatiis* fluunt *opera Dei*,  
hoc est operationes cum ipso effectu consideratae,  
quas inter eminent *creatio*, & *prouidentia* di-  
vina. Mundum a Deo creatum esse probo, quia  
a natura eius, quod causam habet, abhorret, aeter-  
num esse. Accedunt argumenta a posteriori, ar-  
tium inuentio, generis humani multiplicatio &c.

## §. XI.

Per *prouidentiam* Deus res creatas *conseruat*,  
*mouet*, *gubernat*. Hanc euincit tum Numinis  
potentia, sapientia, bonitas, tum rei creatae na-  
tura, quae vt se creare non potuit, ita nec con-  
seruare potest, denique ordo constans & peren-  
nis causarum & effectuum.

## §. XII.

Iam ad cultum Numinis accedimus. Eum  
dignum esse qui colatur, natura eius praestan-  
tissima euincit. Eum hoc velle, supra probatum est.  
Absoluitur autem omnis cultus Dei *amore* eius:  
qui hic ita consideratur, prout inter officia est.  
Ad eum excitandum sufficit, quod Deus ipsa bo-  
nitas, omniumque bonorum, quae homini con-  
tingunt, auctor sit. Hinc vero etiam sequitur:  
Deum supra omnia amandum: eum propter se  
ipsum esse amandum: quin hominum esse, vt  
Deum magis, quam se ipsos ament.

## §. XIII.

Amorem Dei alium esse *amicitiae* alium *obe-  
dientiae*, alium *concupiscentiae*, in prima parte do-  
cui-

cuimus. Iste, si accedat deuota existimatio summae praestantiae & perfectionis, qua Deus pollet, *veneratio* dicitur. Ille progignit *timorem* Numinis, quatenus relatio ad iustitiam & potentiam Numinis accedit. Hic cum simul a malis, quae nos premunt, liberari cupimus, sed ita ut diuinae voluntati nos submittamus, producit *spem*, *fiduciam*, & *acquiescentiam* in voluntate Dei.

#### §. XIV.

Si ad actum amoris accedat peculiaris actus intellectus, super bono cuius indigni sumus, vocatur *precatio interna*. Ea enim nihil aliud est, quam volitio futuri, ad Deum directa. Mentis autem ad Deum directio ob bonum aliquod, quod ab eodem accepimus, & quo fauorem eius extollimus, vocatur *gratiarum actio*. Hae cogitationes ut verbis proferantur, non videtur necessesse esse, cum Deus intimos mentis recessus exploratos habeat: nihilofcious saepius expedit, mentis conceptus certis allegare verbis. Hinc vero & precum conditiones, legesque, intelliguntur, quarum summa huc redit: *ita precandum esse*, ut *summus Numinis amor exigit*.

#### §. XV.

Non minus autem & externis factis hunc amorem Numinis testari decet, si scilicet aut necessitas quaedam, aut aliorum salus hoc exigat. Hinc *cultus Numinis externus* fluit. Summa

R

eius

eius *huc* *redit*: *nihil loquendum*, *nihil faciendum esse*, *quod cum amore Dei aut directe aut indirecte pugnet*.

### §. XVI.

Ratio quoque dicitat, certum tempus beneficis diuinis expendendis consecrandum esse, ut mens a seculi rebus paulisper reuocetur, ne iis immersa penitus, Numinisque immemor, citatis in praeceps eat gradibus. Certe amare Deum nequit, qui nunquam serio de eo cogitat, quod fieri nequit, si aliis negotiis mens intenta est. Ast sacrificiis Deum colendum esse, quo pacto ex ratione probari possit, non video.

### §. XVII.

Reuocanda nunc haec officia ad certas *virtutes* sunt. Vnica quidem virtus est: haec tamen quatenus circa Numinis sensum & cultum versatur, vocatur *pietas*. Tot eius species sunt, quot cultus diuini partes. Sic alia erit *intellectus*, alia *voluntatis*, & haec iterum vel *interna*, vel *externa*, &c. Proprietates quoque virtutis, ut ad singulas virtutes applicari possunt, id quod semel hic monuisse sufficiat, ita & in pietate locum inueniunt, possetque adeo *diligentia sacra*, *obedientia sacra* &c, constitui.

SECT.

